

NUMMVS DICATVS MEMORIÆ

SIXTI V. PONTIF. MAX. SECURITATE

Italiæ, profligatis & extinctis Banditis, restitutâ; cufus, Anno Christi

1587.



SIXTO Quinto, cui prius Felici de Monte alto nomen erat, sedem Pontificiam occupante, tantus eorum numerus Italiam inundaverat, quibus aquâ & igni interdictum fuerat (vulgò Banditas vocant) ut tutò iter facere nemini penèliceret, viis obsessis, crebrisque homicidijs defædatis. Rem itaque se dignam facturum ratus Pontifex, si malo huic remedium adferret, Centuriones terra marique dimittit, qui illuvie istâ Italiam repurgarent:

potestate simul factâ omnibus ac singulis subditorum in prædones huiusmodi ac piratas grassandi: addito præmio cc Ducatorum, quod sit numerandum ei, qui caput interfecti in pontem Castelli S. Angeli deponeret. Quin & edicto sancivit, se præter pecuniam, quâ caput latronis præmiaretur, veniam insuper & redditum ei Banditæ largiturum, qui alterius Banditæ caput ad se detulisset. Hic lupum vidisses lupo commissum, ac Vrsu Vrsu: dum quisque & veniam culpæ suæ, & aurum venaretur. *Factum hæc Pontificis curâ ac providentiâ: ut peregrinanti, cum prius mota, ad lunam arundinis umbram trepidaret, tutò nunc onus suum deponere liceret, suavitèq; sub quâvis arbore somnum capere.*

Author.